

differunt realiter, quoad id secundum quod unum sine altero esse potest: quam concedimus; siquidem id, secundum quod relatio formaliter considerata potest abesse à fundamento, nihil aliud est, quam terminus ille sine quo aliquid esse nequit relatio. Quodd autem fundamentum à termino solâ ratione differat nos non dicimus. Vid. *Suarez D. M. cit. sect. II. n. XXIII.* & *Scheible-
rus loc. sup. cit. n. 54.*

§. X. Ad secundum respondemus negando consequentiam; quam probatio nullo modo stabilire potest; siquidem non sequitur: subjectum relationis v. g. homo, quando fit pater, non acquirit novum esse reale. E. relatio est nihil: sed hoc tantum sequitur E. relatio non est aliquid distinctum realiter à fundamento. Nam quando homo aliquis habet fundamentum paternitatis, tunc etiam habet rem illam, quæ postmodum, quando filius ipsi nascitur, relatio vocatur. Quia verò illa entitas non potest esse relatio (formaliter considerata) nisi etiam adsit connotatum illud, cuius respectu relatio est; ideo patet quod tunc demum fundamentum relationis dicatur relatio, quando illud extrinsecum, ad quod refertur, adest; & per consequens homini, qui pater fit, item albo, quando fit simile, nulla propterea nova entitas accedit; siquidem homo pater & album simile prius denominari non potest, quam accedat illud extrinsecum nempe terminus quem postmodum intrinsecum, seu res illa quæ fundamentum & relatio est, respicit. Unde aliud est, relationem seu rem illam quæ in patre vel alio quodam subjecto est relatio, esse in rerum natura; & aliud, rem illam esse in rerum natura sub ratione relationis. Prius verum esse potest antequam e. g. homo dicatur pater, album simile &c. non verò posterius. Eodem ferè modo hoc explicat *Armandus de Bello visu* quando in *Explicit. term. Tr. II. cap. CLXXXV.* ait: *credo, quòd relatio non differat realiter à suo fundamento, sicut differunt due res & due natura, quarum una non est alia: sicut similitudo & albedo, super quam fundatur relatio similitudinis non differunt intrinsecè: sed tamen potest dici, quòd differunt extrinsecè; quia ipsa relatio importat aliquid, quod non est ipsum fundamentum. Illa enim res eadem formaliter, quæ facit Socratem album, sc. albedo, facit ipsum similem*